

LESSUS,

Quo

Magnos Manes

*Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi Domini,*

**DN. GEORGII  
SCHMIDII**

à SCHMIDENBACH,

Reip. Thoruniensis Præ - Consulis

Senioris,

*Patroni lucuosissimâ, beatâ tamen, analysi  
cœlestibus annumerati,*

die 17. Octobris Anni clc clc XCVII.

quo exuvia illius tumulabantur,


*venerari debent*

**Docentes**

in

Scholâ Novæ Civitatis

Thoruniensis.



---

THORUNI,

imprimebat. JOHANN BALTHASAR BRESLER. *Gymm. Typog.*



\* \* \*  
\* \* \* \* \*  
\* \* \* \* \*



Ergone sollicitam linquis *mens enthea* glebam,  
Et petis æthereas cœlica tecta domos?  
Ergone destituis suspensam eventibus urbem,  
Quæ tibi luminibus charior usque fuit?  
Quæ si quando unquam, dubiis nunc anxia curis,  
Et tristi nutans omine poscit opem.  
Hactenus Istuleis sævus Mars exulat oris,  
Et tutâ laxis itur in urbe togis.

Vel si non justis gens invida truit hastis,  
Finitum est modico sanguine litis opus.  
Aut si nonnunquam truculenti incommoda ferri,  
Sensimus, à longè parvula plaga fuit.  
Ast nunc exili stricti cervicibus enses  
Impendent serâ: Dum Hannibal ante fores.  
Tranquillâ quivis nautarum navigat undâ,  
Atqve rudi clavus remige fervat iter:  
Sed cum terrifico tremuerunt æquora Cauro;  
Pellere vel remis hîc erit artis opus.  
Sic pronum & facile est dare leges, sedulus omnis  
Officium populus cum facit omne suum:  
Ast cum confusis miscentur turbida claris,  
Bellica pacatis; Tunc opus arte viri:  
Qualis erat noster generoso stemmate natus  
SCHMIDIUS, arx patriæ, firma columna, Faber.  
Illa dies meritò niveis signanda lapillis,  
Quâ tantus Præses natus in orbe fuit.  
Clare Patrum Fulgur, Decus indelebile, SCHMIDI,  
Istuleæ æternum lux memoranda plagæ.  
O si Threïcii mihi sancta peritia vatis,  
Et lapidum expultrix affôret ipsa chelys!  
Hybleo canerem manantia carmina succo,  
Verba meri Clarii tincta liquore darem.  
Id merita & virtus & mansuetudo merentur  
Elyfio summis nota sub axe viris.  
Differerem quantis teneris abs ungvis artis  
Tinctus præceptis, Patre jubente, fores.  
Multas ad gentes juvenem comitarer euntem,  
Quærentem variis commoda docta locis.  
Eloquerer quantos jugiter tibi ferre labores  
Res haud difficilis sive molesta fuit.

Pramia



Præmia nec tantæ molis collata tacerem,  
Quæ nunquam dignis patria grata negat.  
Scandisti ad quævis properanti munia gressu,  
Sed testis populo præveniente Patres.  
Quanta seges laudum! Sed tantis ausibus impar,  
Sisto gradum tenui deficiente stylo.  
Tantus opum cumulus tanti Præ-Consulis, Hercle,  
Temporibus duris anchora sacra foret.  
Ast cœlum nobis ingratis invidet illum,  
Anteqve largum imbrem fert super astra procul.  
Pacificam quoniam dilexit tempore vitam  
Omni, jam fruitur divite pace polo.  
Gaude pace novâ cœli novus incola! Tumbâ  
Asservante DEO, molliter ossa cubent.  
Nos tua, Mæcenas, plenis memorabimus hircis  
Munera, dum guttam Vistula lata vehet!  
Insimul ardentes Numen Cœleste precamur,  
Ut videant similes secla futura senes!

Condolens sc.

Christophorus Cretlovius,  
S. N. C. R.

*Justitiæ Splendor, pietatis gloria veræ  
Occidit, ad lachrymas gaudia nostra trahens.  
Condoleo: At luctum sistet divina voluntas,  
Quâ melius nihil est, & nihil esse potest.*

Joh. Zacharias Wegschmidt/  
Cant. Nov. Urbis.

H<sup>\*</sup>E<sup>\*</sup>us Viator!  
Hoc saxum Te rogat,  
ut sibi dissimilis sis & fleas.

Vir

Innocentiâ notus,  
Iustitiâ clarus,  
Officiis promptus,  
Colloquio jucundus,  
Pietate decorus,

DN. GEORGIUS SCHMIDIUS,

antiquo & nobili stemmate  
oriundus,

Proconsul Thoruntensis.

Vigilans incorruptus, & verus æquitatis  
Antistes

sub



sub hoc saxo requiescit molliter.  
Mors non claudit Oculos, aperit,  
& si vis videre mundi fumos,  
veni ad cineres.

Invida fors SCHMIDIUM subito interceptit,  
& rem bonam spemque simul subripuit.

Qui

Primoribus gratus, vulgò venerabilis,

Omnibus æquus erat,

nunc angusto clauditur tumulo.

Regens legibus populosam Urbem.

Inter politicas ambages

subitis ejus consiliis maturius nihil prodiit.

Tam incomparabili animo,

Tam illustri ingenio,

Tam prudenti judicio

Res tractavit Patriæ Publicas,

ut nunquam vel fortunæ adversitate,

vel negotiorum diversitate fuerit obrutus.

Immortalis Proconsul!

Ideo tantum mori est visus,

ne humanarum legum vindex, Naturæ leges  
infringeret.

Hinc moriturus animum habuit intrepidum,

revolvitque secum

accuratius dictitans:

Mihi est Christus & in vita & in Morte lucrum! Phil. 1, 21.

O christianam Philosophiam!

Eheu! tantum sidus haud absconderet Tellus!

Factum bene.

Eriam Sol occidit.

Ast vix totus interiit Vir Magnus.

Vivit SCHMIDIUS

in cœlica æde,

vivit inquam in memoria Senatus Amplissimi,

in animo Civium,

in pectore Cognatorum & Agnatorum.

In voto piorum lugentium.

Abi Viator!

Te quoque hoc decretum manet:

MORIERIS!

Sed ut benè beatèque moriaris;

quotidie mori minimè detrectes.

Sic lugere voluit honoris ergò

**PETRUS KELPIUS, Collega.**